

tuitu exerceantur: nulla potest athei esse virtus, nulla honestas, si quid boni praestiterit, id aliis quibusdam motivis, quae virtutem haud constituunt, tribuendum erit.

1.) Demum ad exempla provocat (§. 174.), adducitque tum veterum, tum recentiorum temporum atheos, Diagoram, Theodorum, Epicurum, Lucilium Vanini, Spinozam, quorum vitae probitatem, comitatem in omnes, obedientiam erga principes multis dilaudat. In de porro concludit elucere ex his exemplis atheismi doctrinam in mores nequaquam influere.

XX. Responsum jam alias occupavimus (Psych. §. 263, sch. 1. n. 6.). Vera nimiram ista esse possunt de atheis, qui in hominum religioni addictiorum societate vivunt, hi enim multis aliis motivis ad externam, et simulatam morum honestatem impelli possunt: persistentibus quippe in aliis sanis de virtute, ac vitio notionibus timentis vilipendi, ac hodium haberi; cupiunt item ad munera publica promoveri, quae spe certo se frustrandos sciunt, si ad doctrinam mores suos componerent; nec denique etiam interior conscientiae vox prorsus contiolescit. At in commentitia atheorum republica haec, et similia motiva penitus tollerentur; in nullo enim forent rectae de honestate, ac inhonestate radice, impia doctrina teneris jam animis instillata firmissimas radices figeret, tamque alte imprimeretur, ut tandem totum rationalem naturam perverteret, intermitteret conscientiae proditae stimulos plane hebetaret. His accederent prava aliorum, etiam quorum major in animos est auctoritas, exempla; distortae affectiones, immoderata ditiensecendi, et dominandi libido, et quae ejus modi sunt, naturae corruptae monstra. Neque a sectarum capitibus ad sequaces argumentum valere ibidem quoque loculenter ostendi; respuit enim hi, quibus illi aguntur, motiva, nec jam amplius doctrinae famam conciliare student, quam ipsius principes avidissime appetebant (*De vit. beat. c. 12.*), *Non ab Epicuro impulsit, ait Seneca de Epictureis, luxuriantur; sed vitis dedit luxuriam suam in philosophiae sinu abscondunt, et eo concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem.* Quamquam nec ea prohibitas, quam Baylius tantopere extollit, in eorum moribus eluxit (*Extrait. de la vie de Vanini.*); certe Lucilium Vanini vitam omnibus sceleribus inquinatam duxisse, atque nihil minus, quam fortem animum in accipiendi mortis sententia exhibuisse Gramondus scribit.

DEUS EXISTIT.

XX. *Deus existit.* Imprimis enim de hac Dei existentia sensus naturae communis extat (§. 17.); deinde in contraria hypothesis nec quidpiam in rebus humanis bonum, aut malum, honestum, aut inhonestum, justum, aut injustum foret (§. 8.), nec ulla respublica, aut hominum societas diu tranquilla consistere posset (§. praec.); atqui sensus naturae communis non fallit (§. 171. log.), et duo reliqua tam eum ratione, quam cum ideis, secundum quas et philosophari, et actiones nostras moderari debemus, pugnant; igitur Deus existit.

Coroll. Potest itaque et moralibus argumentis existentia Dei invicte demonstrari.

Schol. Diversis proinde modis eadem veritas manifesta fit; quare nullam omnino excusationem adferre possunt, qui aut rationes has perpendere negligunt, aut perpensis non intellectu modo, sed et tota voluntate non assentiantur. Perspecto argumentorum pondere quae, si non absolutum certitudinem, ut quidem omnes sanae mentis opinantur, summam saltem, quae cogitari potest, probabilitatem consciunt, nonnulli ad hominem ita arguunt: si Deus existat, ut tamen illum inscieris, debituque et cultum subtrahas, gravissimam certe poenam expectandum habes; si Deus non existat, ut tamen falso persuasus eum velut existentem colas, nihil unquam inde detrimenti capies: at Deum existere saltem verissimum est; vide itaque quam in gravissimo hoc negotio partem amplectendam ratio suadeat. Profecto mirari satis nequeo, qui fiat ut qui in aliis rebus quavis certitudine contenti sunt, huic veritati adeo perspicuae victas dare manus abnuant; cum tamen ea ejusmodi sit, ut si non certa esset, certam esse summe optandum foret, Quid enim an non multo optabilius est sub suavi potentissimi, simulque optimi gubernatoris regimine vitam agere, quam durissimo foret fatalis cujusdam necessitatis, fortunae, aut casus subijci? Perperam sane contendunt nonnulli, nihil cogitationem de Numinis existentia ad solidam animi tranquillitatem conferre (*De la Mettrie l'homme machine p. 62.*); in utraque hypothesis parem animi quietem adfuturam. Quae enim vero animi quies cum nulla naturali beatitudinis desiderio explendi spes affilget (*Pensées philos.*); cum morbis, inopia, aliisque gravissimis calamitatibus sine praemii expectatione conflictandum est; cum bona praesentia quantumvis accumulata cupiditates nostras non satiant, sed irritant; cum tristes rerum vicissitudines casu, et fortuito evidentes perpetuo metuentidae sunt; cum demum omnia vitae hujus commoda abque melioris fiducia deserenda sciuntur? Contraria omnia ita experiantur qui in suavi providentiae benignissimi Numinis sinu conquiescunt.

SECTIO II.

DE ATTRIBUTIS DEI

QUID, ET QUOTUPLEX DEI ATTRIBUTUM?

XXI. *Attributa Dei sunt omnes eae proprietates, quae Deo conveniunt, quaeque ex necessitate ad existendum, utpote ejus essentia metaphysica (§. 5.), promanant.* Horum alia dico *negativa*, quae cum negatione alicujus imperfectionis concipiunt, sive per quae a Deo imperfectionem removemus; alia *positiva*, quae sine ulla negantia cogitantur, aut per quae Deo perfectionem quampiam tribuimus. *Schol. 1.* In se quidem, et revera omnia Dei attributa positiva sunt; quae enim ex positiva, eaque illimitata essentia profiunt, non

queant, nisi positiva esse: et alioquin in Deo negatio, aut realitatis defectus locum habere nequit. Quid, quod si rem accurate expendamus, facile pervidemus, etiam tum, cum aliquam a Deo imperfectionem removemus, veram reapse perfectionem eidem a nobis tribui? Quare distributio istaë imbecillitate intelligentiæ nostræ magis, quam ab interno attributorum discrimine proficisci censenda est: cui et separatio illorum tam ab se se, tum ab essentia cogitatione nostra facta adscribi debet.

QUAE ALIORUM DIVISIONES?

Schol. 2. Alii alias rationes in distribuendis attributis divinis sequuntur: sunt illis *comparativa*, quae cum relatione ad res creatas, ut *beneficentia, justitia, absoluta*, quae sine ea concipiuntur ut *aeternitas, simplicitas, actiosa*, sive *operatoria*, quae in suo conceptu actionem involvunt, ut *intellectus, voluntas, quietas, scientia*, quae sine operatione cogitari possunt, ut *simplicitas: physica*, quae realem, et *physicam Dei naturam* constituunt, ut *aeternitas, omnipotentia: moralia*, quae cum aeterno, ac immutabili rerum discrimine, quod divina sapientia semper sequitur, connexa sunt, ac nostris actionibus moralibus normam praebent, ut *veracitas, justitia, sapientia*. Sed probe contra Leibnizianos advertendum, haec moralia attributa in Deo cum absoluta quoque necessitate inesse, quemadmodum physica, et quae cum illis pugnant, absolute, ac metaphysice repugnare; unde cum dicimus: *moraliter repugnat, ut Deus mentiatur*: sensus est: *metaphysice in Deo mendacium repugnat, quia opponitur veracitati, quae est moralis ejus perfectio* (conf. ont. §. 37. sch. cosm. §. 4. sch. 2. n. 6.). His denique addunt *communicabilia*, quae communicari rebus creatis aliqua ratione possunt, ut *vita, intellectus, voluntas; et incommunicabilia*, quae non possunt communicari, ut *aeternitas, immensitas*. Ego missis his, divisioni primum constitutae insistam.

QUAE SECTIONIS PARTITIO?

XXII. Cum itaque attributa divina, et de quibus hoc loco agendum (§. 2.) in duo summa genera commodissime tribuantur, necesse habeo, ut praesentem quoque sectionem in totidem membra disperiar, quorum alterum attributa *negativa*, alterum *positiva* dilucide exponat.

MEMBRUM I.

DE ATTRIBUTIS DEI NEGATIVIS.

QUAE MEMBRI SUMMA?

XXIII. *Attributa Dei negativa, vel vi originis, vel vi significationis* talia sunt: illa ob praefixam particulam in vim negandi, in sensu saltem grammatico, obtinere videntur, quo pertinent *independentia, infinitas, immutabilitas, immensitas*; haec tametsi ex

praepositione *in* non componentur, aliquam tamen in se negationem significant, ut *simplicitas, aeternitas, unitas*. Membrum itaque istud duo capita complectetur.

Schol. Unitatem in attributis negativis habendam esse, facile dabit, qui perspexerit, per unitatem, quam de Deo affirmamus, revera possibilitatem multiplicationis naturae divinae negari, hancque velut imperfectionem a Deo removeri.

C A P U T I.

De Attributis Dei vi originis Negativis.

DEUS EST ENS INDEPENDENS -- IMPASSIBILE -- INFINITUM -- PERFECTISSIMUM -- SANCTISSIMUM -- IMMUTABILE -- IMMENSUM.

XXIV. *Deus quoad nullam determinationem internam ab alio pendet*. Ens necessarium quoad nullam determinationem internam ab alio pendet (ontol. §. 106.): sed Deus est ens necessarium (§. 5.); ergo Deus quoad nullam determinationem internam ab alio pendet.

Coroll. Omnis passio in ente dependentiam ab alio arguit (ont. §. 128. 60.); igitur Deus nihil pati potest.

Schol. Si quid itaque passivi de Deo quandoque dicitur, illud vel ad externam solum relationem pertinet, ut *amatur, timetur* vel reapse in se actionem continet.

XXV. *Deus est ens infinitum*. Ens necessarium est ens infinitum (ontol. §. 231.); sed Deus est ens necessarium (§. 5.); ergo Deus est ens infinitum.

Coroll. 1. Cum ens infinitum sit absolute perfectissimum (ont. §. 226.) patet, Deum esse ens absolute perfectissimum; quod quidem etiam ex idea entis necessarii concluditur (ont. §. 113. cor.).

Coroll. 2. Sanctitas in negatione omnis imperfectionis consistit: igitur et Deus, et quodvis ejus attributum est sanctissimum.

Schol. Inde quidquid perfectionis in rebus creatisprehendimus, id Deo tribuendum est; sed haec perfectiones duplicis generis sunt: aliae in ipso conceptu formali imperfectionem involvunt, ut *facultas sentiendi, recordandi, ratiocinandi*; aliae limitem, quo constringuntur, in sua definitione non expriment, ut *intellectus, voluntas, libertas, sapientia*. Haec formaliter, id est secundum suam realitatem, remoto tamen limite, in Deo insunt; illae *eminenter*, nempe secundum aliquid, quod ipsarum realitatem nobilissimo modo supplet (conf. ont. §. 227. sch.). Atque ex his colligitur, quam turpiter aberraverit praesantissimos philosophos, qui Deum esse perfectissimum docuerint, hac idea abusos fuisse; ipsos non advertisse ad mutam perfectionem, quas nostra intelligentia concipimus, pugnam, quae ideo in uno ente consistere nequeant.

XXVI. *Deus est ens immutabile*. Ens necessarium est ens immu-

table (ont. §. 120.); sed Deus est ens necessarium (§. 5.); ergo Deus est ens immutabile.

XXVI. *Deus est immensus, quod ad locum attinet.* Ens necessarium est immensum quod ad locum attinet (ontol. §. 111.); sed Deus est ens necessarium (§. 5.); ergo Deus est immensus, quod ad locum attinet.

Schol. Sed ex infinita Dei perfectione istud quoque recte concluditur: nam existere rem ita in loco quodam, ut non sit simul in alio, est certe quaeprimis perfectio, et existentiae limitatio, quemadmodum esse tantum aliquo tempore, similem limitationem arguit: ab opposito existere in omni loco est vera aliqua perfectio: cum itaque Deo omnes perfectiones tribuendae sint, consequens est, ut Deum in omni loco esse dicamus. Ipsi quoque veteres hanc Deo immensitatem magna consensione tribuerunt, quemadmodum ex Homero, Virgilio, Cioerone, aliisque patet; neque illi repugnant, qui propriam Dei sedem in coelo constituunt: istud enim solum significare volunt, Deum in coelo praecipue suam majestatem patefacere, sequae beatis mentibus conspiciendum praebere. Sed quam res ipsa perspicua, tam modus obscurus est, ac omnino finitas intelligentiae nostrae vires exsuperat. Crasso nimis modo multi ex veteribus immensitatem Dei conceperunt; unde turpissimum pantheismi error denique ortum duxit: aliam quoque, ac oportuerat, hujus divinae perfectionis ideam animo informarunt illi, qui in Anglia praecipue cum Moro, Newtono, Clarkio, Raphson ipsam, et spatium mundanum rem eandem esse contenderunt (conf. ont. §. 168. sch. 2.). Cavendum itaque magnopere, ne Deum per formalem sui extensionem ubique praesentem esse putemus: nam et simplex est, ut deinceps videbimus, et totus ubique; si autem per veram sui extensionem ubique adesset, alia illius pars foret, exempli causa, in tellure, alia in sole, ac corpus quodpiam motum diversas successivae divinae substantiae partes peragraret, quae omnia cum ratione pugnant.

Nonnulli Dei immensitatem ab ejus omni praesentia discriminant, nec ratione destitui videntur. Adjunt immensitatem esse illam vel aptitudinem, vel exigentiam, qua Deus vi essentiae determinetur, ut rebus omnibus quoad ipsam suam substantiam intime praesens sit: hac in sententia immensitas est ad omni praesentiam, ut actus primus ad actum secundum: illa nimirum complectitur vim existendi in rebus omnibus abstrahendo ab actuali rerum creaturarum coexistentia; haec praeter illam essentialem determinationem simul actualem rerum creaturarum coexistentiam includit. Inde vero haec consecraria profertur: 1.) immensitatem esse attributum Dei internum, necessarium, ipsique ab aeterno, antequam res ulla conderetur, competens, non secus ac aeternum, et omnipotentiam, actum vero rebus intime adesse praesentem esse donntaxat praedictum contingens. Deum liberum, et post rerum procreationem ipsi adveniens; 2.) Deum *actu et proprie* non existere in spatiis ima-

ginariis extra mundum, cum nequeat nihilo coexistere; sed tamen, quoniam spatia illa ut possibilitates locandorum sine numero corporum a nobis concipiuntur (ont. §. 196.), dici posse, ipsum potentia in spatiis imaginariis infinitis existere, quod aliud non sonat, quam posse Deum producere extra mundum nova corpora sine numero in infinitum, quibus omnibus, quamprimum existerent, sine omni sui mutatione intime praesens foret. 3.) Cum spatium reale necessario finitum sit (ont. §. 221. cor. 1.), vero sensu dici non posse, Deum existere in spatiis infinitis, sed rectius, Deum existere in se ipso, sive in sua immensitate, quae nullo finito rerum creaturarum spatio concludi potest. Nimirum ut Deus in sua aeternitate ante omne tempus reale revera existit: ita vere in sua immensitate extra omne spatium reale existit.

CAPUT II.

De Attributis Dei vi significationis Negativis.

DEUS EST ENS SIMPLEX.

XXVIII. *Deus est ens simplex.* Ens necessarium est ens simplex (ont. §. 174. cor.); sed Deus est ens necessarium (§. 5.); ergo Deus est ens simplex.

Coroll. Competent itaque Deo, quaecumque enti simplici, qua simplici, conveniunt; contra minime, quae enti composito, quae tali, propria sunt.

QUID ANTHROPOMORPHISMUS?

Schol. Simplicitas Dei ex his quoque perspicue colligitur, quae pro simplicitate animae nostrae demonstranda attulimus (psych. §§. 142. seqq.). Usus vero hujus theoremae praeter alios eximus est in refellendis duobus gravissimis erroribus, quorum alter *pantheismus*, alter *anthropomorphismus* nuncupari solet. De illo dixi (cosm. §§. 23. 40.); hic docet Deum corpore, quod ad humani similitudinem proxime accedat, praeditum esse, quae sententia illorum fuit, qui animam ab oculorum consuetudine abducere non poterunt, licet ceteroquin de Deo magnifice sentirent, quales vetustissimis temporibus quamplurimi dabantur; quamquam praeter veteres Graeciae philosophos etiam doctores quidam Christiani, ut Tertullianus, Melito Sardensis, aliique hujus erroris passim accensentur, recte, an perperam, non definit: videantur Petavius (*Dog. theol. t. 1. c. 1. ed. rec.*), Joannes Cotelerius (*Ad Clementin. hom. 17. t. 1. PP. Apost. p. 738.*), Tobias Psannerus (*Syst. theol. gent. c. 2. 19.*). Magis Hobbesius (*Append. ad Levit. c. 1. pag. 345. c. 3. p. 361.*) se suspectum reddidit, cum, ut solet, inscite pronuntiavit: *illi quidem, qui Deo puritatem tribuunt, recte faciunt; est enim honorificum. Sed tenuitatem (intellige simplicitatem) attribvere, quae gradus quidam est ad nihilitatem,*

periculosum est. Origo hujus opinionis a difficultate, quam veteres in formanda entis simplicis idea sentiebant, repetenda videtur: inde enim fiebat, ut omne, quod est, corpus esse, et quod corpus non est, non esse putarent: cur autem potissimum corpus humanum Deo tribuerint, rationem reddidit Cotta apud Tullium (*De nat. D. l. 1. c. 27.*) absurdam hanc Epicureorum opinionem in Vellejo perstringens: non deest hoc loco copia rationum, quibus docere velitis humanam esse formam Deorum; primum quod ita sit informatum, anticipatunque mentibus nostris, ut homini, cum de Deo cogitet, forma occurrat humana; deinde, ut quoniam rebus omnibus excolat natura divina, forma quoque esse pulcherrima debet; nec esse humana ullam pulchritudinem. Tertiam rationem adfertis, quod nulla in alia figura domesticum mentis esse possit. — Accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius videatur. Sed ut hoc, physice, non vides, quam blanda conciliatrix, et quasi sui sit lena natura? An putas ullam esse terram, marique belluam, quae non sui generis bellua maxime delectetur? — An tu aquilam aut leonem, aut delphinum ullam anteferre censes figuram suae? Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulchrius putaret, quam hominem: eam esse causam, cur Deos hominum similes putaremus? Quid censes, si ratio esset in belluis, non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse? Nec quemquam terreat, quod in ipsis sacris Litteris Deo oculi, aures, lingua, manus tribuantur; cogitandum siquidem est, sermonem illum ad audientium imbecillitatem accommodatum esse, ut sapienter Theodoretus monuit (*Quaest. in Gen. q. 20.*): stolidi non animadvertunt, Dominum Deum per homines hominibus loquentem audientium infrmitati sermones accommodare.

AC AETERNITATE

XXIX. *Deus est aeternus.* Ens necessarium est aeternum (ontol. §. 110.); sed Deus est ens necessarium (§. 5.): ergo Deus est aeternus.

QUAERITUR DE SUCCESSIONE IN AETERNITATE CONTROVERSA.

Schol. Quaestio agitur, utrum in aeternitate successio admitti possit, qualis in tempore datur, seu quod idem est, an aeternitas per modum temporis infiniti concipienda sit: quae vis, etsi pro modum composita fuisse (ont. §. 212. sch.) videatur; pauca tamen quaedam hoc loco utiliter monenda restant. Negativam sententiam Plato olim, recentius Cudworthus cum multis aliis defendit (*Syst. intell. c. 5. s. 1. §. 18. seq. Timaeus.*). Platonis haec sunt verba: *Erat, est, erit, partes sunt temporis, et male transferuntur ad naturam aeternam. Huic est tantum competit: erat vero, et erit pertinent solummodo ad res in tempore fluentes; sunt enim motiones. Illa semper immutabilis natura nec senior, nec junior ullo modo esse potest.* Moshemius in Cudworthum (*l.*

§. 24. not. 2.), postquam controversiae ortum, ac progressum, et utriusque partis patronos diffuse exposuit, hac ratione mentem suam declarat: *infiniti (n. 3.) qui naturam semper habent ob oculos positam, illi non possunt non, si hanc notionem sequi velint, intelligere, illis, qui successione ab aeternitate seclusam volunt, veritatem multo magis favere, quam reliquis, qui secus sentiunt.* Infinitum quod est, id stabile quoddam est, omni termino, origine, ac initio vacans, simplex denique. — Infinita igitur duratio, seu aeternitas nullam in se admittit divisionem, necesse est, nullas habeat partes, nullam dimensionem, nullis denique distinguat momentis, ac differentiis. — Hoc autem si ita se se habet, equidem nescio, qua ratione aeternitas ordo momentorum sibi succedentium esse queat. — Quod humanae ac a Deo conditae res fluunt, labuntur praeteriunt sensim, id propter finitatem fit; qua circumscripatae sunt. Ergo infinitum si flueret, et paulatim liberetur, non esset infinitum, sed finitatem adjunctam haberet.

Sublata porro successione reali in aeternitate divina sequitur 1.) eam omnia simul praesentia, praeterita, et futura complexi, neque res in tempore sibi succedentes alteri, et alteri aeternitatis parti respondere, sed totti: inde Deo nihil esse praeteritum, nihil futurum, sed omnia simul praesentia; videre Deum simul, unoque intuitu alia in serie rerum labentium ante me posita; alia in serie meae parallela, alia in serie rerum me consequente; unde fiat, ut licet sibi omnia praesentia sint, optime tamen cognoscant, quid mihi praeteritum, praesens, futurumve sit. 2.) Eternitatem Dei maximam cum ejus immensitate analogiam habere (§. 27. schol.); ut enim immensitas in se spectata praedicatum est Deo penitus internum, ac perfecte abstrahens ab existentia rerum creaturarum: ita quoque aeternitas in ipso inest sine relatione ad aliorum entium existentiam: quare recte a Boethio definitur esse (*De consol. phil. l. 5. prors. 6.*) *interminatae vitae tota simul, et perfecta possessio*, id est, ipsa perpetua, immutabilis, ac perfectissima Dei vita. Sicut porro vi immensitatis Deus necessario determinatus est ad existendum in omni loco reali, qui datus fuerit; ita quoque vi aeternitatis essentialiter determinatur ad coexistendum omni tempori reali, quod fuerit. Atque inde ulterius proficit, coexistentiam omni tempori reali, sive rebus succedentibus ita distinguendam esse ab aeternitate, ut omni praesentia ab immensitate differt, nam utraque aliqua ratione a rebus procreatis pendet, Deoque semiextrinseca est. Demum quemadmodum ad immensitatem non pertinet existere in spatii actu infinito, sed satis est, ut Deus ex natura sua determinatus sit ad existendum in omni spatio reali, quod vel actu est, vel aliquando productur, ita ad aeternitatem nequaquam requiritur, ut Deus actu tempori reali infinito coexistat, sed plane sufficit essentialis determinatio ad coexistendum omni tempori reali, quod vel jam sit, vel adhuc erit.

DEUS UNUS EST.

XXX. *Deus est unicus. Ens necessarium est unicum (ont. §§. 114, 231.); sed Deus est ens necessarium (§. 5.); ergo Deus est unicus.*
Coroll. Polytheismus igitur cum ratione pugnat.
Schol. 1. Pugnat certe cum naturae rationalis sensu, in quo haec quoque veritas fundatur: unde enim fit, ut supersticioso etiam plurimorum Deorum cultu implicati, cum improvisa calamitate repente opprimuntur, non Deos, sed Deum inclament? Audito vulgus, ait Minutius, cum ad coelum manus tendunt, nihil aliud, quam Deum dicunt: et Deus magnus est, et Deus verus est, et si Deus dederit (In Octavio). At vero totum fere orbem polytheismus olim occupaverat? sit ita sane: istud de veritate nihil detrahit; vocabulum Deus illis temporibus valde dubium fuit, et si fortasse rudis plebecula legislatorum, sacerdotumque fraudibus decepta plures veros Deos credidit, longe tamen sapientiores, ac philosophi ab hoc errore distabant; omni quippe aetate eorum plurimi unum supremum Deum docuerunt, cui alio minores subjecerunt. Audi Zenonem Eleatem, qui teste Aristotele non affirmavit modo, sed et probavit (Inde Xenoph. Zen. et Georg. c. 1.): Deum esse unum, cum sit excellentissimus; si enim duo essent, pluresque omnium excellentissimus esse nequirit, cum unusquisque Deorum istorum, quippe similis ei, pari ipsi excellentia sit futurus. Deus, et potentia Dei talis est, ut gubernet, non gubernetur; gubernat vero omnia ita, ut si aliquid eo praestantius existeret, Deus esse ipse non possit. Si autem plures essent Dii, Dii esse non possent: Deus enim inferior esse, vel subiecti, et gubernari haud potest. Neque si aequales essent, entium omnium excellentissimus esset Deus; quod enim aequale est, nec melius esse potest, nec deterius eo, cui aequale est. Si Deus igitur est, isque si talis est, Deus ille debet esse unus, secus nec omnia, quae cellet, facere posset; nam si plures essent, unus absolutus non potest valde potentia. Antisthenes, ut Cicero scribit, dicere solebat (De nat. D. l. 1. c. 13): populares Deos esse multos; naturalium unum. Praeterea alios, quos longo ordine recenset Minutius Felix (In Octavio), id certum quicquid supra vulgus sapiebant, unum Deum supremum, ac omnipotentem statuisse, a quo minores Dii non modo existentiam, sed et immortalitatem, ut ait Plato, consecuti essent. Patet istud ex pervulgata apud veteres, praecipue in schola Pythagorica, et Platonica spiritum in quatuor classes distributione (Dissert. de genio Socratis.); constituerunt nimirum primum Deum supremum omnium conditorem, tum Deos immortales ab ipso procreatos, nullique passioni subiectos: deinde heroes illustres, sive daemones mutationibus, ac perpressionibus obnoxios; demum homines. Haec subinde opinio a recentioribus Platonis non retenta modo, verum etiam acriter propagata fuit, ut ex Hieroclo colligimus. Consultatur Gottofredus Olearius. Verum ut unum Deum agnovissent philosophi illi, non

ita eundem publice praedicarent; turpi enim superstitionis plebis metu abstertit sermonem, cum id turba viderentur, ab hoc argumento declinarunt, paucis solum, et quibus familiaris utebantur, mysterium istud revelantes: ita Stilpo rogatus a Cratete, an Dii praecationibus, ac divinis honoribus gaudeant (Laertius de vit. phil. l. 2. segm. 117.)? Resposuit, noli me fatiare in foro de hiscerogare, sed solum, ac seorsum. Similiter, cum quidam ex Biogene quaereret, utrum Dii sint, hoc accepit responsum (Essai sur les philosophes. c. 10.): tunc senex turbam a nobis procellere curas. Plato tum palam, tum in scriptis suis plurimorum quidem Deorum genitorum, minorum, popularium, terrestrium, caelestrium, marinorum mentionem fecit; in Timaeo tamen summi parentis meminit adjunges (Bossuet disc. sur l'hist. univ. ch. 26. c. 280.): parentem hujus universitatis indicare in vulgus nefas — quamvis sine verisimilibus signis loquantur (de Diis pluribus) veteri legi, et mori parendum est. Inde privatum, et eum amicorum fidissimis colloques vocabulum est in singulari semper numero usurpavit. Sed nemo Cudwortho copiosius hoc argumentum pertractavit (Syst. intell. c. 4.): advertit ille primum omnes eos, qui primis Ecclesiae temporibus cum paganism disputarunt, id unum probare conatos fuisse, praecipuos ab omni retro aetate philosophos unum Deum tenuisse, eamque in rem laudat Clementem Alex. (Cohort. ad gent.), Athenagoram (Apolog. pro christ.), Theophilum Antiochenum (Ad Autolycum), Cyrillum Alex. (Contra Julian. l. 1.), Tertullianum (Apolog. c. 14.), Arnobium (Advers. gen. l. 1.), Minutium Felicem (In Octavio). Deinde nullum umquam gentium cum christianis congregentium plures Deos defendisse, quin ob id reprehensos una voce, ut scribit Orosius (Hist. l. 1. c. 1.), respondisse: Non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari. Nec dissimili ratione Maximus ex juniorum Platoniorum schola in epistola ad S. Augustinum data se, suosque excusavit, inquis (Epist. 43. ad vet.): equidem unum esse Deum summum, esse unicum, quis tam demens, tam mente captus est, qui neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus. Denique nonne recte arguimus eum a prisca philosophis Deum admissum fuisse, quoniam Epicurus tam acriter impugnavit? At hic non Jovem, non Saturnum, non Platonem, non alios Deos, sed Dominum sempernum sufferre voluit: imposuisti, clamat Epicurus ille apud Tullium: imposuisti in cervicibus nostris tempterium Dominum, quem dies, et noctes timeremus: quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum, et plenum negotii Deum (De nat. D. l. c. 20.)?

Philosophis succedant poetae religionis vulgaris fere interpretes, qui etsi suorum popularium dogmata plurimum depravaverint, illud

tamen de uno supremo Deo mira consensione retinuerunt. Orpheus poetarum vetustissimus, qui Thracas religione informavit, ita cecinisse fertur: *unicus est per se existens, qui cuncta creavit. — magnum adeo praeter regem non alter habetur.* Sophocles in tragaedia publice acta: *unus profecto est; unus est tantum Deus, qui coelum, et amplum condidit terrae globum:* videatur de his duobus Petavius. Nec minus Hesiodus, licet theogoniae auctor, teste Clemente Alexandrino unitatem Dei professus est (*Dog. theol. t. 1. c. 3. Almon. ad gen. t. 3. bib. PP.*): *ipse suo regno, ditoneque continet omnes, nec tenet imperium hoc ex immortalibus ullis.* Praetereo Eschylum, Aristophanem, Menandrum, ac transeo ad Latinos. Valerii Sorani vetustissimi hos nobis versus servavit Varro (*De ling. lat. p. 71. ad ann. 1581.*): *Jupiter omnipotens regum rex ipse, deumque progenitor, genitrixque deum, Deus unus, et omnis.* Nota sunt, quae Plautus, Virgilius, Horatius, Ovidius cecinerunt. Primus: qui gentes omnes, mariaque, et terras movet, — qui est imperator divum, atque hominum Jupiter (*In Rudente En. l. 1. od. 12.*). Alter: *o qui res hominum, divumque aeternis regis imperiis, et fulmine terras.* Tertius: *qui res hominum, et deorum, qui mare, et terras, variisque mundum temperat horis;* unde nihil majus generatur ipso, nec viget quidpiam simile, aut secundum (*L. 3. od. 4.*); rursus: *qui terram inertem, qui mare temperat ventosum, et urbes, regnaque tristia, divos, mortalesque turmas imperio regit unus aequo (Metamor.).* Ultimus demum: *hanc Deus, et melior titem natura diremit, — sic onus inclusum numero distinxit eodem cura Dei.*

In ipsis quoque nationibus integris non penitus extinctam fuisse unius Dei supremi cognitionem, vel inde colligimus, quod Faustus Manichaeus auctor S. Augustino opposuerit. Christiania, uti antea Judaes, unum esse Deum, qui omnia effecerit, ab Ethnicis didicisse: cui hinc in modum S. Pater respondit (*Cont. Faust. l. 2. c. 4.*): *Discat ergo Faustus monarchiae opinionem non ex gentibus nos habere, sed gentes non usque ad falsos deos esse delapsas, ut opinionem amitterent, unius veri Dei, ex quo est omnis qualiscumque natura.* Quod si longior esse, diversas nationes singularim enumerando vellem, demonstrarem id de vetustissimis Chaldaeis ex Beroso; de Aegyptiis ex Plutarcho, et Jamblycho; de Aethiopiis ex Eusebio, et Thoma Hyde; de Persis, ex Pocockio (*Hist. des Corib.*). De recentioribus Indis, Sinesibus, Siamitis, Africanis, et Americanis idem Rochefortius, de Tetruiis, aliique testantur (*Hist. nat. des Antil. Recueil. des lett. edifi. cant.*). Haec porro cum ita sint, perspicuum est, polytheismum nunquam sensu naturae communi confirmatum fuisse: inscienter proinde eos agere, qui ex illo rationem petunt, qua probent, sensum commune non esse certum, ac legitimum veritatis indicium, sique argumentum istud ad existentiam Dei demonstranda supra allatum

evertant. Quin omnibus rite expensis multo magis consensio sapientium, et nationum profanitate Dei satis magna deprehenditur, quae ostendat hanc quoque veritatem in sensu communi naturae rationalis non depravatae fundari. At si neque istud ita esset, tamen vel ex illa hominum ad plures Deos colentes propensione anticipationem quamdam universalem de divinitate recte colligeremus, qua facium sit, ut maluerint plura nomina constituere, quam omnem Dei ideam ex animis evellere.

QUIS ERROR DE DUOBUS PRINCIPIIS?

Schol. 2. Refellendus hic quoque venit error turpissimus de duobus principiis, bono altero, malo vero; quorum illud omnium in hoc orbe bonorum, alterum malorum causa sit. Opinionis hujus absurdae originem erudit a Zoroastro vetustissimo Persarum doctore reperitur: ille enim prior docuisse putatur, a supremo Deo Mithra, sive Zarva, qui ab humana intelligentia concipi nequeat, duos inferiores Deos Oromasden, et Arimanum genitos fuisse, quorum ille bonus cum hoc malo perpetuum bellum gerat; unde haec, quam in mundo experimur, honorum, ac malorum mixtio oritur. Vid. Thomas Hyde (*Hist. rel. vet. Pers. c. 9. no. 22.*), et Pocockius (*Specim. hist. Arab.*). Hanc Leibnitiuss (*Essai de Theod. p. 2. §. 138.*) fabulam inde ortam suspicatur, quod Arimanus ex septentrionali occidentis parte cum magnis copiis in Asiam transierit, ibique potentissimi regis Oromasdis imperium invaserit, quocum longo tempore aequo plene Marte pugnavit. Haec porro doctrina procedente tempore per totum fere orientem diffusa, ac plurimum immutata fuit. Moshemius (*In Cudw. c. 4. §. 13. not. 19.*) duorum principiorum patronos, quos *dualistas* vocat, in quinque praecipuas classes distribuit, quarum tamen quaevis novas subdivisiones admittit. Sed missis his, eorum solum sententiam in examen vocabo, qui duo principia; bonum, et malum, per se existentia, aetate, ac robore aequalia, ac perpetuo inter se dilectantia constituerunt: quae uti deinceps Manichaeis propria, ita etiam ab iisdem absurdissimis plane fabulis involuta fuit, ut in S. Augustino (*Contra ep. Mon. c. 13. 11.*) legere est. Videri quoque possunt Wolfius (*Manichaeis*), et Beausobrius (*Hist. Manichaeism.*).

PRINCIPIUM MALUM REPUGNAT.

XXXI. *Repugnat principium malum per se, et necessario existens.* Principium istud malum vel est natura omni modo opposita naturae principii boni, ut v. g. tenebrae opponuntur luci, qua paritate ipsi Manichaei delectabantur, vel non. Si primum: tunc principium malum aliud non est, quam absoluta, et perfecta negatio omnium eorum, quae principio bono competunt, ac proinde nihilum, ut tenebrae non sunt, nisi negatio lucis: qui igitur principium malum extare affirmat, affirmat extare infinitum nihilum. Si alterum: tunc necesse est, ut principium malum quibusdam perfectionibus infinitis, quibus principium bonum praeditum est, possit, quibusdam autem, ac

praecipue bonitate, benignitate, benevolentia destituitur; at verd hoc per absurdum est: neque enim infinitae perfectiones separari (ontol. §. 124. cor. 2.), neque ens necessario existens non absolute perfectissimum esse (ontol. §. 113. cor.) potest. Cum igitur in hac Manichaeorum hypothesis alterum obtinere debeat, evidens est ejusmodi principium malum omnino repugnare.

NEC EX EO ORIGO MALI EXPLICARI POTEST.

XXXII. *Permissa etiam hypothesis principii mali per se, et necessario existentis, non explicatur origo mali, quale in mundo est.* Vel enim duo haec principia vires aequales, vel inaequales haberent; si hoc: tunc vis major unius vim minorem alterius coerceret, omniaque illius opera destrueret, ac proinde aut nullum bonum, aut nullum malum in mundo foret, prout nempe alterum vinceret, quod cum experientia pugnat; sunt enim bona mixta malis. Si illud: tunc vires aequales sese mutuo eliderent, ac neutra ullum effectum consequeretur, proindeque rursus nihil foret in mundo, quod aut bonum, aut malum sit, sicut ex viribus aequalibus, et directe oppositis in mechanica non motus, sed quies sequitur; atqui in utraque hac hypothesis origo mali, quale in mundo hoc datur, minime explicatur: igitur permissa etiam hypothesis principii mali per se, ac necessario existentis non explicatur origo mali, quale in mundo est, ut Manichaei voluerunt.

Schol. At fingi fortasse poterit foedus quodpiam, quod duo istae principia diuturnae pugnae pertaesa inierint, quemadmodum Barilius (*Dict. histor. et crit. art. Manich.*) suscepta Manichaeorum caussa Zoroastri nomine contra Melissum arguitur. Quid haec hypothesis magis absoum? vel principium bonum malo magis viribus valet, vel non? si ita; et tamen pactum istud inuit, merito omnium malorum caussa in ipsum rejicitur, quod in adversariorum sententia cum idea boni principii pugnat, cum putent nullum ab eo malum permitti posse. Si non; si a principio malo superatur, tunc principium malum, quod ex essentia, ac natura sua ad mala duntaxat caussanda determinatur, contra naturam suam agere in eundo hoc foedus, atque ita permittendo, ut quaedam bona adsint, quae, utpote vi superiore instructum, facillime tollere posset. Statuto itaque hujusmodi foedere, tam bonum principium caussa mali, quam malum caussa boni erit, ac proinde bonum principium erit simul non bonum, malum non malum. Sed neque paritas a duobus exercitiis, quorum unus prostratus jam resurgit iterum, et instauratis viribus dimicando victoriam adipiscitur, quidpiam efficit; istud quippe venire nequit, cum utriusque partis vires immutabiles sunt; quod in absurda haec hypothesis obtineret. Certe enim, qui duo entia per se, et necessario existentia ponit, eorum quoque vires necessarias, et immutabiles ponat, necesse est. Ita mala caussa semper pejus defenditur. Quomodo porro ab ipso bono principio, eoque unico, salva sua bonitate, mala alia in hoc mundo permitti, alia etiam immitti queant, paulo post uberius ostendam.

MEMBRUM II.

DE ATTRIBUTIS DEI POSITIVIS.

QUAE MEMBRUM SUMMA?

XXXIII. Ad attributa Dei positiua intellectus praecipue, ac voluntas, tum quae cum his proximis connectuntur, referenda sunt. Quare agam primum de intellectu Dei, et attributis cum eo connexis; tum de ejus voluntate; denique attributa, quae ad hanc pertinent, pertractabo: istia proinde capita membrum absolvent.

CAPUT I.

De intellectu Dei, et attributis cum eo connexis.

DEUS SOLLET INTELLECTU INFINITO.

XXXIV. *Deus pollet intellectu infinito.* Cum enim Deus sit ens absolute perfectissimum (§. 25. cor. 1.), omni possibili perfectione, sive realitate praeditus sit, necesse est; atqui intellectus est certe perfectio quaedam possibilis, sive realitas; igitur Deus intellectus pollet: Hanc porro intellectum esse infinitum, eadem rationis conclusione efficitur.

Coroll. Intellectus igitur Dei, quaecumque intelligi possunt, distinctissime repraesentat (*Psych.* §. 57. cor.).

Schol. Praeterea sensu intimo quisvis certus redditur se ens intelligentis esse; certum proinde est, existere entia finita intellectu instructa: cum igitur omnes entium finitorum perfectiones in Deo inesse debeant (§. 25. sch.), eadem certitudine concluditur Deum intelligentiam pollere. Sane cum nequeat plus esse in effectu, quam in caussa sit (ont. §. 157.), absolute repugnat, ut vel unum ens intelligentia praeditum a caussa bruta, et omni intellectu destituta procreetur, quemadmodum in absurda Epicureorum hypothesis nullus foret in orbe motus, si ille materiae aeternae insitus non fuit. Quid quod ipsa mundi conformatio summam quendam intelligentiam in Conditore manifestat (§. 14.).

QUI SEMPER AGIT.

XXXV. *Intellectus Dei semper agit.* Quiescat enimvero aliquando ab omni actione intellectus divinitus; erit igitur aliquid tempus, quo Deus nec se ipsum, nec alia cognoscibilia sibi repraesentat, ac proinde quo nihil penitus cognoscit; atqui istud vehementer cum infinita Dei perfectione pugnare, nemo non videt: igitur intellectus Dei semper agit.

Coroll. 1. Itaque intellectus non per modum facultatis, ut nobis hominibus; sed per modum actus Deo tribuentis est.

Coroll. 2. Cum porro successio actuum cum interna entis mutatione conjugatur (ontol. §. 118. & 119.), quae in Deum non cadit (§. 26.),

consequens est, ut actio intelligentiae divinae usque sit, semperque eadem, sive ut Deus uno simplicissimo actu omnia cognoscibilia sibi distinctissime repraesentet (conf. §. 34. coroll.).

Schol. Idem ad alias quoque perfectiones Dei naturales applicandum, firmiterque tenendum est, non esse in Deo facultates ab actu separatas: inde est, ut theologi Deum *actum purum*, immo *purissimum* appellent.

DEUS GAUDET SCIENTIA INFINITA — RATIONE — AC SAPIENTIA.

XXXVI. *Deus gaudet scientia infinita, sive omniscientia.* Qui omnia quae sciri possint perfectissime cognoscit, scientia infinita gaudet; sed qui uno actu omnia cognoscibilia sibi distinctissime repraesentat scit perfectissime omnia, quae sciri possunt: igitur qui uno actu omnia cognoscibilia sibi distinctissime repraesentat, scientia infinita gaudet; atqui Deus uno actu omnia cognoscibilia sibi distinctissime repraesentat (§. praec. cor. 2.). ergo Deus scientia infinita gaudet.

Coroll. Omnis veritas sive necessaria, sive contingens ex natura sua habet, ut cognosci possit: scit itaque Deus omnem veritatem tam necessariam, quam contingentem.

Schol. Ad veritates necessarias ipse Deus, ejusque attributa infinita; tum entium possibilitates, et quae eum his proxime connectuntur, pertinent: ad contingentes vero, quaecumque praeter Deum existunt, sive comparate ad nos praeterita, sive praesentia, sive futura sint; atque haec seu absolute, aut positis quibusdam conditionibus aliquando implendis; seu sub conditionibus nunquam vera implendis futura sint: Deus igitur imprimis se ipsum, ac perfectiones suas infinitas, tum omnia possibilia, et cum rerum possibilitate connexa, deinde pro aliquo tempore realiter existentia; denique exitura, si certae conditiones impleverint, perfectissime cognoscit. Ob hanc vero obiectorum diversitatem scientia divina, licet in se una, et simplicissima, variam nomenclationem sortitur. Ea qua Deus se ipsum, possibilitates rerum, et cum his connexa cognoscit, *scientia necessaria*, vel *simplicis intelligentiae* audit (*Theol. nat. s. 1. c. 3. §. 63.*): quae ad existentia porrigitur *libera*, sive *visions*; ea qua sub conditione quadam futura cognoscuntur, a Leibnizio, Wolfio, Boehmio, Baumeistero aliisque *media*, et a Darbino, volitionis Dei libera praecedere dicitur. Hanc porro cumulatissimam rerum omnium scientiam magna consensione veteres quoque Deo tribuerunt, paucis solum exceptis, qui vel cum Carneade omnium futurorum, vel cum Ciceroe actuum nostrorum liberorum praevisionem eidem denegarunt (*Oeuvr. de M. Montesquieu. 3. pag. 146. suiv.*). Sunt tamen, qui et hodie, licet diversa ratione impulsu, cum Ciceroe consentiunt: quod nondum evenit, ajunt, nondum est, quod nondum est, non potest cognosci; nihil enim cum nullas habeat proprietates, percipi non potest: igitur actus a determinatione causae liberae pendentes a Deo praevideri nequeunt. At fatillus est haec argutatio: quod enim

Nunc quidem non existit, sed tamen futurum est, jam non est absolute nihilum, sed habet suum esse futurum in statu logico a tota aeternitate: quare sicut quavis alia veritas in se intelligi potest: adde ex duobus contradictoriis, quae seu de praeterite, seu de praesenti, seu de futuro convenientiam praedicati cum subjecto emittent, semper ac necessario unam veram, alteram falsam esse (§. 156. schol. l. 3. cor. 2. l. log.). Sed nemo ex me quaerat, quibus in signis id genus futura Deus cognoscat; ajo enim cum S. Augustino (*In Ps. 49.*): *nec hoc a me fratres expectetis, ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico: non sic cognoscit, ut homo; non sic cognoscit, ut angeli; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum.*

XXXVII. *Deus gaudet ratione infinita.* Cum enim Deus omnia cognoscibilia perfectissime cognoscat (§. praec.), necesse est, ut etiam omnem possibilem omnium veritatum nexum distinctissime percipiat: quare cum hoc sit rationis infinitae munus (psych. §. 68.), gaudere Deum ratione infinita perspiciemus est.

XXXVIII. *Deus gaudet sapientia infinita.* Deus gaudet omniscientia (§. 36.). igitur perfectissime cognoscit, qui fines sint optimi quae media ad optimos fines accommodatissima, qui demum optimus et subordinandi modus; sed in perfectissima horum cognitione infinita sapientia sita est: ergo Deus infinita sapientia gaudet.

CAPUT II.

De Voluntate Dei.

DEUS GAUDET VOLUNTATE INFINITA.

XXXIX. *Deus gaudet voluntate perfectissima.* Imprimis cum Deus sit ens perfectissimum (§. 25. cor. 1.), nequit ulla realitate carere; voluntatem autem realitatem esse, nemo cum ratione dubitaverit. Deinde eam voluntatem, cum in Deo insit, perfectissimum esse consimili ratiocinio evincitur.

Schol. Deum voluntate praeditum esse, duabus praeterea rationibus efficacissime suadet. Primum volendi facultas arcto adeo nexu cum intelligentia copulatur, ut una absque altera consistere haud queat: quare cum Deus perfectissimo intellectu polleat (§. 34.), necesse est, ut eidem quoque voluntas competat. Deinde praeter hunc mundum innumeris alios possibiles esse dubio caret: igitur ut hic prae aliis crearetur, opus fuit electione quadam: atqui electio ad voluntatem pertinet.

QUID EIUS ACTUS INTERNUS, ET EXTERNUS?

XL. *Per actum internum voluntatis divinae intelligo volitionem,* qua Deus in se tendit, sequae ipsum ut bonum infinitum, quod distinctissime comprehendit, amat; *per externum vero, volitionem,* quae se ad res ab ipso distinctas porrigit.

Schol. Minime tamen contendo hos actus reapse distinctos esse, quin contrarium paullo post patebit.

ACTUS INTERNUS NON EST LIBER; -- EST AUTEM EXTERNUS.

XLII. *Deus in actu voluntatis interno liber non est.* Bonum infinitum distincte cognitum quamvis voluntatem necessario in sui amorem rapit, cum sit necessarium amoris obiectum: atqui Deus se ipsum ut infinitum bonum distinctissime cognoscit (§. 36. schol.); igitur Deus necessario se ipsum amat; sed in hoc amore actus internus voluntatis divinae situs est (§. praec.); igitur in interno voluntatis suae actu Deus liber non est.

XLIII. *Deus in actibus externis voluntatis perfectissime liber est.* Deus habet voluntatem perfectissimam (§. 39.); sed ad perfectionem voluntatis pertinet quoque libertas: igitur Deus libertatem habet; atqui eam non habet in actibus internis (§. praec.); ergo necesse est, ut in actibus externis perfectissime liber sit.

Schol. Ad notionem voluntatis perfectissimae pertinere libertatem, sed quod eodem redit, libertatem veram perfectionem esse dubitari nequit, cum nimirum de bonis finitis, quae necessariae amoris obiecta non sunt, agitur. Nemo certe est, qui hominum libertatem in veris perfectionibus non numeret: inde vero haec duo consequuntur, primum: libertas quaedam Deo tribuenda est, cum in illo omnes rerum creaturarum perfectiones secundum realitatem suam insint; alterum: si nulla Deus polleret libertate, nulla quoque in nobis esse posset, secus haec nostra perfectio ex nihilo prodiret. Denique et simili ratiocinatione, nec conficitur: si Deus necessitate quadam ad res extra se volendas impelleretur, ea necessitate vel ex ipsa illius natura, vel a re ab ipso distincta promanaret, quorum neutrum ne cogitari quidem potest. Non primum: cum enim Deus in se sit beatissimus, sibi quae ad omnes perfectiones possibili-possidentias sufficiat, neque ulla re a se distincta ad summam felicitatem egeat, fieri omnino nequit, ut illius natura rei cuiuspiam procreationem necessario exposcat; et nonne ejusmodi necessitas Deum ab aliqua re producenda pendente efficieret? Non alterum: nam res illa vel esset existens, vel solum possibilis; sed in primis nulla res praeter Deum sine sui productione existit; deinde quae possibilia sunt, sunt quoque prorsus ad existendum indifferencia, neque ad sui procreationem aut quidpiam conferre, aut eidem resistere possunt, neque etiam bonitatem infinitam in se continent. Ceterum libertas divina non est concipienda ut indifferencia potentiae ad actum, qualis in creatis datur; hoc quippe imperfectionem argueret (§. 35. sch.); sed ut actus indifferens ad applicationem; nam, ut mox patebit, volitio Dei libera aliud non est, quam actus voluntatis divinae semper existens libere respiciens rem hanc vel illam ab ipso diversam (*Disput. metaph. disp. 22. s. 2. n. 34.*). Voluntas increata, ait Suarezius, est indifferens ad plura obiecta extra se; non vero ad plures actus volendi, vel nolendi, quod voluntati

creatae proprium est; item voluntas increata determinatur sine novo actu ipsi addito; voluntas contra creatur per novum actum determinatur.

ACTUS VOLUNTATIS EST UNIGUS.

XLIII. *Deus uno, eoque simplicissimo actu a tota aeternitate vult, quaecumque vult.* Imprimis cum Deus sit actus purus (§. 35. sch.), nequit ei voluntas nisi per modum actus tribui, hincque actus ob eandem rationem aeternus sit, necesse est. Deinde ponamus plures actus diversos esse; erunt illi vel successivi, vel simultanei: non illud: sequeretur enim vera in statu Dei interno mutatio, quae repugnat (§. 26.); non istud: nam cum Deus omnia sub una ratione medii ad finem constitutum aptissimi velit, plures actus reapse distincti nec necessarij, nec utiles forent. Adde perfectus esse uno actu plura velle posse, quam diversis; cum igitur Deus infinito perfectus sit (§. 25. cor. 1.), et istud illi tribuendum; igitur uno, eoque simplicissimo actu Deus a tota aeternitate vult, quaecumque vult.

Coroll. Eodem igitur actu, quod Deus necessario in se ipsum fertur, libere fertur in res a se distinctas (*P. 1. q. 19. ar. 2. ad 2um ar. 3. et. 5.*): id est, unus est volitionis actus, qui, quatenus Deum respicit, est amor sui; et quatenus ad res creatas terminatur, volitio creaturarum est; ita docet S. Thomas.

QUI ET QUOTUPLEX DECRETUM DEI?

Schol. Actum hunc voluntatis divinae, quatenus res externas respicit, decretum vocant theologi, illudque licet in se simplicissimum, in varia tamen genera pro rerum decretarum discrimine distribuantur. Duo ex his praecipue huc pertinent, quorum unus in sequentibus erit. *Positivum*, quo Deus aliquid absolute intendit, ac consequi cupit, ut cum vult mundum existere; *permissivum*, quo permittit statui, quod tamen de se fieri non vellet, qua ratione peccata hominum admittit.

DECRETUM DEI EST IMMUTABILE.

XLIV. *Decretum Dei est immutabile.* Deus uno, eoque simplicissimo actu a tota aeternitate vult, quaecumque vult (§. praec. sch.); igitur actus voluntatis divinae, ac proinde decretum Dei (§. praec. sch.) mutari nequit.

Schol. Certe cum intellectus Dei semper omnia cognoscibilia distinctissime repraesentat (§. 35. coroll. 2.), turpis inconstantiae, ac animi levitatis indicium foret, si Deus id, quod ante voluit, nunc nollet, aut vicissim; quemadmodum nobis iure vult datur, cum manentibus iisdem adiunctis, ac invariata eorum cognitione voluntatis nostrae consilia mutamus. Verum haec immutabilitas decretorum divinarum apud nonnullos philosophos *ignorantia*, ut ex Tullio Leibnitius ait, suscitavit; qui nimirum putant frustra vota nuncupari, preces fundi, quod quae immutabiliter decreta sunt, certo alioquin eventura sint. Scire hos oportet, ipsa voluntati di-

vinæ decreta sub conditione præcum adhibendarum, operæque à nobis conferendæ lata esse; quare frustra esse nequeunt. Alii quærent, quia mutabilitas volitionis divinæ cum libertate concilietur? Nempe, quæ Deus libere vult, ita nunc vult, uti ab æterno potuisset non velle; at postquam semel voluit, infinita ipsius perfectio postulat, ne quid demutetur. Obscura hæc sunt, ais, ita sanè; verum cogita infinitas Dei perfectiones magis nobis adorandas, quam perscrutandas esse: hæc quippe abyssò omnes finitæ intelligentiæ vires absorbentur.

CAPUT III.

De Attributis Dei cum Voluntate connexis.

QUID BONITAS?

XLV. Bonitas, quam etiam *beneficentiam* rectè compellaveris, est constans voluntas rebus creatis conferendi perfectiones, ac veram felicitatem, quantum ipsarum natura postulat.

DEUS EST BONITATIS INFINITAE.

XLVI. Deus est bonitatis infinitæ. Est certe bonitas hæc perfectio quedam, quæ ut illimitata ab ente infinito abesse nequit; sed ens illud infinitum Deus est (§. 25.). Igitur Deus est bonitatis infinitæ.

Schol. 1. Si Deus hæc bonitate careret, esset aliquid in eo, quod eisdem opponeretur; quid vero illud? aliud certe non, quam malevolentia quedam, aut invidia exinordinata quadam animi affectione orta; is quippe solum invidet, irascitur, malefacit, qui aut re quæpiam eget, aut timet, aut sperat, aut alia cæca cupiditate ducitur, quæ omnia in naturam perfectissimam minime cadunt. Et quoniam de ea, quæ Deus in homines præcipue fertur, bonitate præcipue hoc loco quaerimus, juvat eam alia quoque ratione constabilem. Sane si Deus hominum felicitatem cupiat, eaque conferre et sciat, et possit, quæ ad eam adipiscendam necessaria sunt, summa est in eos bonitate; atque utrumque ita se habet. Principio condidit hominem veræ felicitatis capacem, et ita comparatum, ut eam naturali propensione vehementissime appetat, miseriamque, et quidquid cum ea pugnat, aversetur. Neque istud satis largitus est illi plurima in hoc mundo bona licite perfruenda, quæ tamen naturale beatitudinis desiderium adeo non satiant, ut etiam magis æquant. Jam vero si hisce positis nostram tamen felicitatem Deus non vellet, quid nisi nos ludificaret, ac crudelissime ex cruciatu acendo, quod nunquam impleri posse, desiderium a se nobis ingentium? Nonne ita nobissem ageret, ac si quis fame jam jam encando cibum ostenderet, vescendum non præberet? Nonne beatitæ ipsæ nobis feliciores forent, cum suas appetitiones in hæc vita plemissime expleant? Tanto nimirum essemus infeliciores,

quanto magis solidam, perfectamque beatitudine ipso naturæ ductu appeteremus, atque illud, quod maximam naturæ nostræ perfectionem constituit, fons esset omnis, ac summæ miseriæ. Quis autem ista de Deo, deique infinita naturæ ejus perfectione suspiceretur? Quæ deinde ad scientiam, ac potentiam attinent, ea ipsi deesse nemo sanus judicaverit: est itaque in confesso summam Dei in homines bonitatem esse (conf. psych. §§. 249. etc.).

Schol. 2. At contrarium experientia constare quidam contendunt; multa in hoc mundo mala esse, quæ contra Dei in nos bonitatem testimonium dicant. Torsit ea res præcipue veteres, neque satis nondum dissolvere sciverunt. Plato ad perviciaciam materiæ æternæ confugit (cosm. §. 20.); Plutarchus materiæ animam malignam insedissee, eam quidem, sed non penitus, a Deo emendatam fuisse asseruit; alii alia diverticula a ratione aliena quaesiverunt. Manichæi duce Manete Persa veterem Zoroastris opinionem de duobus principiis uno bono, altero malo et suscitarent, et expolierent, agentes utrumque a se, ac necessario existere, illudque omnium honorum, hoc malorum in mundo causam esse. Equidem turpem hunc errorem supra refutavi (§§. 31. 32.); ac Baylius (*Dict. histor. et Manich. rem. D.*), qui putidum ubique scepticismum affectat, ea refutatione non contentus insecite contendit, hypothësim de uno principio, etsi a priori demonstretur, a posteriori tamen nec verisimiliter probari posse, eo quod ratione naturali ostendi nequeat, quomodo a principio bono, si unum sit, tot mala in mundo permitti possint; addit ad constabiliendam quæcumque hypothësim necesse esse, ut distincte modus declaretur, quo ea cum phaenomenis congruat; atque si vel istud feri nequeat, rationem satis efficacem adesse ad eam rejiciendam, quantumvis splendidissima videatur. At quæ multa hic latent, quæ juxta reprehensionem merentur! Primum ad constabiliendam hypothësim de uno principio vel sola demonstrata repugnantiâ hypothësis oppositæ abunde sufficit: necesse enim est, ut ex duabus propositionibus contradictoriis altera in se vera sit, altera falsa (§. 156. sch. 3. log.). Deinde enunciatio a priori jam demonstrata amplius inter hypothëses numerari non debet; quæmadmodum nec in his locum meretur enunciatum, cujus falsitas jam certo constat: sola nimirum probabilitas ad hypothësim et sufficit, et requiritur: probabilitas autem omnis evanescit, quamprimum veritas, aut falsitas certo detegitur (§. 213. log.). Tum contra veritatem a priori demonstratam nullæ argutiæ a posteriori petite ullum robur habere possunt (§§. 197. cor. 3. 235. sch. 6. log.); quare nec necesse est, ut modus, quo sententia demonstrata cum phaenomenis congruat, distincte explicetur, nec si qua sit, ignorantia fundamentum illam rejiciendi suppeditat; sed sincere fatendum, utrumque verissimum esse; modum tamen, quo ea componantur, ignorari; quæmadmodum si quis nesciret præparationem Dei cum libertate humana conciliare, turpissime aberraret, si vel alterutrum, vel

utramque existare inficiaretur, ut jam alias saepe monuimus. Possumt nempe res quoad substantiam notae, et ignotae esse quoad modum. Postremo a veritate alienum est, ratione naturali prorsus ostendi non posse, quomodo a principio hono tot in mundo mala permitti possunt nam ad istud praestandum satis est; generatim patefacere, permissionem horumque malorum cum divina bonitate non pugnare: nec obest, quod omnis in hoc argumento obscuritas tolli nequeat: ejus enim ratio in infinitate, quae bonitati, sicut ceteris Dei perfectionibus competit, et in limitatis nostrae intelligentiae viribus sita est. Quaeramus itaque difficultis hujus nodi, quantum humanae rationi datum est, solutionem.

QUID, ET QUOTUPLEX MALUM?

XLVII. *Malum* est, quod cum Imperfectione entis connectitur, sive quod ejus statum imperfectionem reddit (psych. §. 83.): aliud dicitur *metaphysicum*, quod in ipsa entis creati limitatione consistit; aliud *physicum*, quod doloribus corporis et animae absolvitur; aliud *morale*, quod in libera legis moralis transgressione situm est. PERMISSIO MALI METAPHYSICI CUM BONITATE NON PUGNAT — NEC PERMISSIO MALI PHYSICI — IMMO EJUS EST ARGUMENTUM.

XLVIII. *Permissio mali metaphysici non pugnat cum bonitate Dei*. Si ita esset, tunc bonitas divina postulare, ut Deus, aut entia infinita, aut nulla condant; sed neutrum divina bonitas postulat: non primum; ens enim creatum; ac proinde contingens ex essentia sua finitum est (ontol. §. 229, cor. 1.): non alterum; procreatio enim entium quorundam licet malo metaphysico affectorum potius bonitati finitae multo maxime consentanea est, ut quae secus cum nullo communicari potuisset: igitur permissio mali metaphysici cum bonitate Dei non pugnat.

XLIX. *Permissio mali physici non pugnat cum bonitate Dei*. Dolores corporis, et animae sunt nobis prorsus naturales, et consistunt hoc rerum nexu secundum naturae cursum a causis naturalibus proveniunt; sed permissio eorum, quae constituto hoc rerum nexu naturaliter fiunt, cum bonitate Dei non pugnat; secus cogere, ut Deus entia creata contra naturales eorum proprietates gubernare: ergo permissio mali physici cum bonitate Dei non pugnat. Adde mala physica connexa esse cum plurimis bonis moralibus, ut adeo, nisi his sublatis, penitus tolli nequeant.

L. *Permissio mali physici est manifestum divinae bonitatis argumentum*. Mala physica plurimum conferunt, ut finem nostrum, perfectam nempe felicitatem, et certius, et facilius consequamur; exercendis enim virtutibus occasionem praebent; culpas contractas abstergunt; animum ad praesentium voluptatum contemptum, atque ad aeternorum honorum amorem, ac desiderium adducunt. Quare cum Deus optimus nos felices, ac beatos esse cupiat (§. 46. sch.), horum malorum permissio ejus bonitatis manifestum argumentum est. *Schol.* Cum mali moralis idea ideam legis involvat, necesse est, ut

de hac pauca praemittam, antequam illius permissionem cum Dei bonitate non pugnare ostendam.

BONITAS DEI POSTULAT LEGEM MORALEM.

LI. *Infinita Dei bonitas postulat constitutionem legis moralis*. Infinita Dei bonitas postulat, ut hominibus subsidia necessaria ad veram felicitatem, seu finem ultimum consequendum suppeditentur; sed lex moralis, cum aliud non sit, quam norma actionum humanarum, per quas finis obtineri unice et potest, et debet, est id genus subsidium necessarium: igitur infinita Dei bonitas constitutionem legis moralis postulat.

Schol. Cum nempe homo a malo metaphysico immunis non sit, habet is cum intelligentiam, tum voluntatem limitatam, atque ob illam in fine cognoscendo aberrare; ob hanc a rectitudine actionum defectere potest. Quod utrumque ne fiat, norma quadam opus habet, ad quam et cogitationes, et actiones suas exigere possit, ut recto ad finem suum tramite incedat.

POSSIBILITAS MALI MORALIS EST IN MAL. MET. LEG. MOR. ET LIB. SITAE — ET IMMO CUM BONITATE DEI NON PUGNAT.

LII. *Ratio, cur malum morale possibile sit, in malo metaphysico, in lege morali, et in libertate sita est*. Libera enim legis moralis transgressio nequaquam fieri posset, nisi homo cum intelligentia, et voluntate limitata libertate polleret, simulque lex moralis exaret; atqui libera legis moralis transgressio illud est, quod malum morale dicimus (§. 47.): igitur ratio, cur malum morale possibile sit, in malo metaphysico, in lege morali, et in libertate sita est.

LIII. *Possibilitas mali moralis non pugnat cum bonitate Dei*. Si ita esset, tunc bonitas divina postulare, ut vel unus, vel omnes tres ex assignatis (§. praec.) fontibus tollantur; sed id bonitas divina non postulat; imprimis enim permissio mali metaphysici non pugnat cum bonitate Dei (§. 48.): deinde legis moralis constitutio ab eadem bonitate profiuit (§. 51.); denique libertas homini, utpote enti rationali, finito, inter bona pariter finita constituit, ac bonum infinitum natura sua appetentius prorsus naturalis est; ut vero natura corrumpatur, Dei bonitas non postulat: igitur possibilitas mali moralis non pugnat cum bonitate Dei.

Schol. Quid, quod libertas necessarium est actuum moralium exercendorum instrumentum, quod Deus ut nobilissimam perfectionum suarum patefactionem primo loco in procreatione universi sibi praestituit? multas praeterea libertatis humanae prerogativas enumerat Hookius (*Rel. nat. et revel. princ. theolog. nat. de provid. Dei pag. 154.*), quarum aliae se tenent ex parte Dei, aliae ex parte hominum. Ex parte Dei: 1. sublata libertate mundus foret meta machina mortua Dei digito dirigenda. 2.) Nullum inter Deum, et res creatas foedus foret, et commercium amoris: nulla liberta gratiarum actio, nullus cultus Deo dignus. 3.) In mundi administratione perfectiones Dei non tam perspicue elucerent; nam in guber-

natione rerum libertate carentium aut sola fere, aut quam maxime saltem potentia elucet; at cum hac sapientia quoque multo maxime enitet, quando providentia tot agentibus liberis velut a suo dominio manumissis, et suspenso potentiae exercitio, fines tamen suos perfectissime consequitur, ac efficit, ut tot discordes hominum voluntates liberrime in totius universi bonum conspirent. In administratione item morali patefunt sanctitas, justitia, ceteraque attributa cum his connexa, quorum regnante fatali quadam necessitate ne obscurum quidem iudicium foret. Ex parte hominum: 1.) plurimae mentis dotes perirent; sit unus intellectus penitus necessarius, erit igitur vel perpetua de eadem re cogitatio, vel series cogitationum fatali necessitate connexa: inde autem nullus rationi, ac prudentiae locus, nullus suavissimis animi voluptatibus, quae lex liberis inquisitionibus, inventis, vitae institutis, colloquutione cum hominibus prophanare solent. 2.) Caremus deinde quoque jucundissim illo gaudio, quod liberae electiones etiam in rebus villoribus, constans virtutum exercitatio, ac praecipue conscientia recti nobis adfert. Quare, cum tam dulces sint libertatis nostrae fructus, luce meridiana clarius est, bonitatem divinam nequaquam deponere, ut ea nobis auferatur.

EXISTENTIA MALI MORALIS EST IN ABUSU LIBERTATIS — QUI UT IMPEDIATUR BONITAS DEI NON POSTULAT.

LIV. *Ratio, cur malum morale actu existat, in malo libertatis usu sita est.* Cum enim malum morale sit libera legis transgressio (§. 47.), tum malum morale actu existit, quando libere legem transgredimur; atqui legem libere transgrediendo malo nos uti nostra libertate apud omnes in confesso est: ergo ratio, cur malum morale actu existat, in malo libertatis usu sita est.

LV. *Bonitas Dei non postulat, ut hic malus libertatis usus penitus impediatur.* Bonitas Dei non postulat, ut media ad fines optimos obtinendos accommodata penitus impediatur; sed ipse malus libertatis usus medium est accommodatum, quo Deus ex infinita sua sapientia fines optimos obtinet: mirum patefactionem suae justitiae in puniendis, misericordiae in condonandis, longanimitatis in tolerandis delictis; actus item virtutis poenitentiae, reditionis ad meliorem frugem, satisfactionis in iis, qui peccaverunt, patientiae, fortitudinis, constantiae in illis, qui ab improbis injuste vexantur: ergo bonitas Dei non postulat, ut malus libertatis usus penitus impediatur.

Schol. Adde Deum praeterea propositis maximis praemis nos ad bonum impellere, et contra intentatis gravissimis suppliciis a malo absterere, qui modus gubernandi creaturam rationalem, et liberam aptissimus est, ac proinde etiam bonitati infinitae maxime consentaneus.

PERMISSIO MALI MORALIS NON PUGNAT CUM BONITATE DEI.

LVI. *Permissio mali moralis non pugnat cum bonitate Dei.*

Si ita esset, tunc bonitas, divina postulare, ut vel malum morale absolute impossibile reddatur, vel saltem in hominibus malus libertatis usus penitus impediatur (conf. §. 54.); atqui neutrum bonitas divina postulat (§§. 33. praec.): igitur permissio mali moralis cum bonitate Dei non pugnat.

PERMISSIO MALORUM NON PUGNAT CUM BONITATE DEI.

LVII. *Permissio malorum, quae in hoc mundo experimur, non pugnat cum infinita Dei bonitate.* Omnia mala, quae in hoc mundo experimur, sunt vel metaphysica, vel physica, vel moralia (§. 47.); sed horum permissio non pugnat cum infinita Dei bonitate (§§. 48. 49. 50. 56.): ergo permissio malorum, quae in hoc mundo experimur, cum infinita Dei bonitate non pugnat.

Coroll. Igitur Deus optimus salva in nos bonitate omnia hujus mundi mala permittit, neque necesse est, ut aliud praeterea principium malum a se existens commisceamur (conf. §§. 31. 32.).

RESPONDETUR CAVILLATIONIBUS.

Schol. Atque ex his facilis est responsio ad cavillationes, quibus olim Epicurus, aliique, tum recentius Baylius (*Dict. Hist. et crit. et art. Manich. Paulic. Zoroast.*) divinam bonitatem impetiverunt. 1.) Epicurus teste Lactantio (*De ira Dei c. 3.*) ita argumentabatur. *Deus aut vult tollere mala, et non potest; aut potest, et non vult; aut neque potest, neque vult. Si vult, et non potest, imbecillitas est, quod in Deum non cadit. Si potest, et non vult, invidus, quod aeque alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, et invidus et imbecillitas, ideoque neque Deus est. Si vult, et potest, quod solum Deo convenit, unde sunt mala? aut cur ea non tollit? Similes sunt argutationes Marcionis apud Tertullianum, et Celsi apud Origenem.*

At nempe mala metaphysica Deus nec potest, nec vult tollere, nisi nihil creare velit; non tamen imbecillitas est, quia ad omnipotentiam non pertinet posse efficere pugnantia.

Mala physica posset quidem Deus, re in se spectata, tollere, at non vult: anne ideo invidus? minime; ista enim mala adeo cum ejus bonitate non pugnant, ut etiam perspicuum sint illius argumentum. Sunt nempe potissimum cum quamplurimis bonis moralibus conjuncta; edocent enim nos beatitudinem nostram in possessione bonorum caducorum non consistere, unde ad eorum contemptum excitamur, utque animum consilio, prudentia, et sapientia adversus ea muniamus, ac pulcherrimis virtutum habitibus exornemus, impellimur. Inde porro fit, ut vitae nostrae incerti majori studio mentis integritatem, justitiamque sectemur, atque Deo, cum placuerit, operum nostrorum rationem reddere non formidemus. Vid. Lactantius (*Ibid.*), et Anti-Laetius (*De nat. rer. l. 9. v. 151. seq.*). Nec obest, quod nonnumquam eveniat, ut quis omnibus vitam tuendi subsidiis destinatur; nam cum Deus ad tempus solum nos in hoc corpore, tamquam carcere, morari voluerit, non utique

neceffe fuit ita nobis de medijs providere, ut vitam perpetuo con-
servare possimus. Nostrum muneris duntaxat est tandiu hisce bonis,
et vitae commodis rite uti, quamdiu nos hic degere Deo placuerit.
Si moris improviso, ac citra nostram negligentiam evenerit, malum
erit solum physicum, at simul cum maximo bono consociatum, cum
adius ad patriam, unde exulamus, nisi per mortem non pateat.
Sunt denique mala physica universim tum peccati originarii, de
quo nos Revelatio certos reddit, tum aliorum quoque iustissima
poena.

Quod demum ad mala moralia neque per ea quidpiam bonitati de-
trahi ex dictis colligitur; quare illa citra omnem invidiam Deus,
etsi poterit, tollere non voluit.

2.) Instat Baylius, quaeritque cum Cotta apud Tullium, cur Deus, si
bonus sit, rationem, ac libertatem, qua plurimos abusuros praevi-
dit, hominibus concesserit (*De nat. D. l. 3. c. 27.*)? *Ut vinum aegrotis, verba Cottae sunt, quae prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino, quam spe dubiae salutis in aperta pernicitem incurere: sic haud scio, an melius fuerit, humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino quam tam munifice, et tam large dari. Quamobrem si mens voluntasque divina idcirco consulit hominibus, quod iis largita est rationem: iis solis consulit, quos bona ratione donavit: quos videmus, si modo illi sunt, esse perpaucos.*

Sed discrimen est ingens; ratio per se fertur in bonum: neque enim
bona, et mala, sana, et insana datur ratio (*psych. §. 72. sch.*), ut
Cotta contendit: vinum contra internam suam efficacitate aegrotis pos-
simum nocet: quare medicus, qui unicum aegroti praescribit, non
abest a culpa; abest contra Deus longissime, si homines ratione,
quam illis largitus est, abutantur. Cum enim eam non animo nocendi,
sed beneficiendi concesserit, simulque motiva, praemia, poe-
nas adiecerit, ut bonus illius usus fiat, tota in homine culpa resi-
det. Certo, ut Cotta paullo post arguit (*§. 27.*): *Nec si is, qui ac-
cepit, bene utitur, idcirco is, qui dedit, amice dedit, ita inverse
mihi argumentari licebit: nec si is, qui accepit, male utitur, idcirco
is, qui dedit, inimice dedit.* Nonne, ut cum Tullio loquar, con-
stat (*ibid.*): *etiam patrimonii multos male uti; nec ob eam
causam eos beneficium a patribus nullum habere?* At, inquit
Cotta (*ib. c. 21.*): *Si homines rationem bono consilio a Diis
immortalibus datam in fraudem, malitiamque convertunt;
non dari illam, quam dari humano generi melius fuit. Ut si
medicus sciat, eum aegrotum, qui jussus sit vinum sumere,
meracius sumpturum, statimque periturum, magna sit in cul-
pa; sic vestra ista providentia reprehendenda, quae rationem
dederit is, quos scierit ea perverae, et improbe usus. His Hoo-
kiius ita occurrit (*Rel. nat. et revel. princ. theolog. nat. de pro-**

vid. Dei pag. 156.): *potest aeger sine vino vivere, immo et con-
valescere; at homo sine ratione esse non potest. Nec minus di-
stant peccare, et perire. Verum est, quod nemo vinum sumere
aegrotum voluerit, quo periturum sciverit, quilibet tamen pru-
dens medicus aegro cibum sumere permittit, sine quo certo pe-
riturum novit; etiamsi febrem eo sumpto autem iri praevide-
rit. Sic Deus rationem hominibus, sine qua homines non es-
sent, dedit, etiamsi quaedam inde mala ortitura praevideret.
Debet ergo ratio comparari cum vita, mala moralia cum
morbo: proindeque si Deus rationem auferret, ne homines ma-
le illa uterentur, similis esset ejus, qui occideret filium, ne aegrotaret.* Nec praeterendum, medicum vi pacti inter ipsum et
aegrotum constituti adstringi ad procurandam, quantum potest san-
tatem; atque inde justitiae obligationem enasci. Idem iudicium
ferendum de aliis id genus similitudinibus, quas copiosas minuti
philosophi proferunt: ita naturalis justitia ex oculo pacto oriunda
postulat, ut princeps omnium, et singulorum bonum pro viribus
promoveat, neque suo tantum, sed totius rei publicae commodo,
ac saluti studeat; unde illi non licet eo primum fine scelera per-
mittere, ut suam postea in iis puniendi justitiam manifestet: ita
mater, in qua paritate Baylius magnopere exultat, non potest ci-
tra culpam sub obtentu libertatis non ad mendae admittit, et
filia loca periculis plena adeat, praesertim si certo praescribet
eam in soelus prolapsuram: nam parentes singulari titulo prolium
saluti, non ejus modo, quae ad corpus, sed etiam quae ad animam
pertinet, prospiciendi gravissima obligatione adstringuntur. Ab
opposito in Deum nulla ejus modo obligatio cadit, ex peccatis praeter-
ea multa bona elicit, eaque ad manifestandas suas perfectiones,
qui fies est toti mundo praefusus, dirigit; quin efficit, ut non no-
ceant, nisi volenti, ac saepe, ut ipsi quoque poenitent ad majus
virtutum studium excitandum prosint; ut denique aliorum exitium
alios in officio continent.

3.) Arietem admoveat, ajunt, si Deus nobiscum benigne agere, boni-
tatisque aere signa exhibere voluisset, effucisset utique, et etiam
salva libertate, vel nemo peccaret, vel nemo saltem aeternum dam-
naretur: obtinisset certe id facillime, si illos tantum condidisset,
quos aut nunquam peccaturos, aut veram de admissis delictis poe-
nitentiam acturos ab aeterno praevidisset.

Potuisset utique, non inficior: at quidquam contra summam bonita-
tem in eo, quod non ita fecerit, admisisse vehementer aego. Non
obstante hac praenotione, qui pereunt, sua culpa pereunt; ipse
omnibus bonus est, quod omnes felices esse sincere cupit; quod
subsidia, quae sufficiunt, omnibus large suppeditat; quod praemia,
poenasque proponit: bonus denique, quod contumaciae plectit:
cum enim justitiam exercet, aliud non agit, quam bonitatem suam
secundum sapientiae regulas in totius generis humani commodum
administrare. *Si rex*, ait Scherfferus (*Institut. metaph. Exerc.*

cit. 4. phys. theol. artic. 3. n. 364.) quispiam complures ad dignitates, ac publica munia gerenda adhibeat, singulosque ex meritis praemio, poenaeve afficiat, certo nemo sanus eum regem reprehenderit; an vero Deo praesentia illa de plurium interitu fraudi erit? an minus censebitur bonus, minus beneficus, quia simul, quod facturum erat, praevitit, quam rex, qui id ignoravit? Porro, qui extra meritum proprium sese felices esse optant, iniqui sunt in Deum, qui in condendo universo actuum moralium praesentiam, liberumque arbitrium habuit potiora. Demum dignum Deo erat, non modo beneficentiae, sed etiam justitiae ejus aeterna praestare monumenta, non quod fecerit quempiam, ut puniatur, sed uti justitiam vel iniustus commendat, qui bonitate uti noluit.

Ad extremum jvat advertere, duos potissimum gravissimos errores a Baylo, aliisque divinae bonitatis hostibus in hoc argumento committi. 1.) Ex sola bonitatis ab aliis Dei perfectionibus abstracta idea ratiocinantur, et quidquid ex hac immediate non fluit, eidem opponi contendunt. Ad enim bonitas haec consolata revera est cum infinitis aliis perfectionibus, quae non quidem inter se pugnant, diversos tamen effectus postulant: unde permitti, aut etiam effici multa a Deo possunt, quae, etsi a bonitate abstracte considerata non proficiantur, illi tamen minime opponuntur, vel idcirco, quod ex idea alterius ejuspiam perfectionis similiter separatim acceptae promanant. Quod si autem perfectiones divinae, ut insa sunt, concrete sumantur, quivis effectus ab omnibus simul provenit. 2.) Bonitatem Dei ex singulorum hominum petitionibus, aut indignitatis metiuntur, cum tamen Deus totius universi bonum primo loco procuret, singulis vero seorsum tantum beneficentiae exhibeat, quantum illius perfectio admittit: quemadmodum princeps humanus, tametsi optimus, non magis amat singulos, quam quantum ad commune totius rei publicae bonum conducit.

QUOD JUSTITIA?

LVIII. *Justitia est bonitas sapienter administrata: summa itaque justitia est summa bonitas sapientissime administrata.*

Schol. Definitio ista ex Bohemio sic declaratur (Theolog. nat. s. 1. c. 4. §. 517. not.). Summus in civitate imperans delinquentes nec nimia severitate, nec lenitate puniens justus eatonus dicitur. Bonitas vero ipsius facit, ut 1.) singulis adeoque etiam delinquenti non male, sed bene velit, ideoque mallet benefecere, quam punire. 2.) Ut totum reipublicae systema securum, et tranquillum, non a male fertatis turbandum velit. 3.) Sapientia, ipsi ostendit non punitionem malefici omni nequitas subditorum fores pandere, vel salutem omnium evertere. 4.) Sapienter igitur administraturus bonitatem punit non nimis leniter ob bonitatem erga totam reipublicam, nec nimis severe ob bonitatem erga singulos, atque ita juste punit. Consti-

tuto porro hoc justitiae divinae conceptu, plurimum illustrantur quae ante diximus: clare enim intelligitur constitutionem poenarum etiam aeternarum minime cum Dei bonitate pugnare.

DEUS EST JUSTISSIMUS.

LIX. *Deus est justissimus.* Deus et optimus (§. 46.); et sapientissimus est (§. 38.): igitur cum summam bonitatem exercet, sapientissime id praestat, seu quod idem est, bonitatem suam sapientissime administrat; sed id esse justissimum (§. praec.): ergo Deus justissimus est.

QUOD VERACITAS?

LX. *Veracitas est constans voluntas numquam falsum dicendi.*

DEUS EST VERACISSIMUS, ET FIDELISSIMUS.

LXI. *Deus est veracissimus.* Cum Deus sit ens absolute perfectissimum (§. 25. cor. 1.), omnis possibilis realitas sine limite eidem tribuenda est (ont. §. 93. sch. n. 3.); sed veracitas est certe possibilis quaedam realitas: igitur veracitas sine limite Deo tribuenda est; ac proinde veracissimus sit, oportet.

Coroll. Cum ad veracitatem fidelitatis in servandis promissis pertineat, ut per se notum est: Deus quoque fidelissimus est.

Schol. Attributis adhuc recensitis alia praeterea, ac praecipue summam beatitatem, et perfectissimam felicitatem adnumerandam esse nemo ignorat; sed notiora haec sunt, quam ut fusiori oratione egeant.

SECTIO III.

DE OPERATIONIBUS DEI.

QUOD SECTIONIS ARGUMENTUM?

LXII. Per operationes Dei, de quibus hoc loco agendum est (§. 24.), eas intelligo, quae ab supremo mundi auctori conveniunt, quaeque generatim ad creationem, conservationem, concursum, gubernationem, et providentiam reducuntur. Istud itaque sectionis argumentum est.

CAPUT I.

De Creatione, Conservatione, et Concursu.

POTENTIA CREANDI EST INFINITA.

LXIII. *Potentia aliquid creandi est potentia infinita.* Nullum possibile aut aliquid conducere, aut repugnare sui effectioni potest: sed omnia et passive, et aequaliter indifferentia sunt, ut producantur, vel non producantur: igitur potentia aliquid creandi omnibus possibilibus procreandis sufficit; atque potentia, quae omnibus pos-